



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Legia Catholica

Roberti, Johannes

Leodii, 1633

45. Eraclius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)

XLV. ERACLIVS.

ERuditissimus, & Eruditorum amator vnicus, duas Leodij Ecclesias cōdidit; S. Pauli alteram; alterã S. Martini: vtramq; consecrauit: vtriq; triginta Canonicos attribuit. S. Laurentij etiam Ecclesiam fundauit; sed morte sublatus, ad fastigium educere non potuit. Singulare, & planè Catholicum est, quod subiungo.

Laborabat Eraclius morbo, qui Lupus dicitur. Is miseri hominis carnes depascebatur. Vouet Eraclius se ad B. Martini tumulū profecturum: tum vorum implet. Septem ipsas noctes inibi pernoctat, orationibus perpetuis vacans, lacrymis madidus. S. Martinus apparet: Cruce cōsignat hominem: momento

mento sanatur, morbo Crucis illo signaculo tamquam absterfo. Eraclius, iussus Missam mox celebrat publicè. Populus prodigio acclamat, & applaudit. Iussu Sancti Medici sui fit Eraclius Canonicus Turonensis. Reuersus Leodium, Ecclesiam, quam dixi, in honorem S. Martini ædificat. Ex eo tempore, Canonici Leodienses S. Martini, & Turonenses, Confratres censentur. Omnia hæc Eraclius manu suâ posteris consignata reliquit. Post hæc, diuino, monitu ter repetito, idem S. Eueruarii Martyris Corpus è terrâ eleuauit, & in loco, qui Rutis dicitur, haud procul Tungris, decenter collocauit, populo deinceps adorandum.